

venisse in seram quoque aetatem; ut cum Ecclesiarum Investitura penes Caesares essent, quoties Episcopus aliquis decessisset à vita, Ecclesia, cui praefuisset, pedum, & annulum ad Imperatorem transmitteret, ab ejus aula petens sibi dari Episcopum. Hinc multos nobiles, & praestantes viros, cognatos & filios Principum, Imperatoris aulam sequutos, Capellanorum ei ministerium exhibentes, spe alicujus Episcopatus obtinendi. Quod πολιτεύμα, ut ne ad Meinvercum & consimiles ei transeat, & ne judicij praesudicia fiant, cavendum est certe; nam cum arma Martiales à Musarum castris alienissimi homines tractarent hoc tempore, ut religio ac litterae ab ijs essent longè, viros Palatio enutriti sacrarum civiliumq; rerum callentes, publica res suadebat. (Adi S. Burchardi vitam de Francone Episc. Wormatiens. S. Annonis Colon. & aliorum passim.) His domestica, & Palatinam militiam, his Cancellorum decus, & Principum arcana, & Responsorum sapientiam, denique admissionum, & inductionum officia, ut pote quibuscum à pueris religio & disciplina in Monasterijs, & Collegiorum Coenobijs adolevisset, Principes tutissime credebant. Atque in hoc genere liceat commemorare non paucos, qui oblata sacerdotia fortius repudiarint, quam alij ambuisse visi sunt, ut exemplis Sanctorum Hereberti Colonienfis, Godehardi Hildeneshemensis, Ottonis Babebergenfis Episcoporum, & aliorum plurimis docere, sit facile.

VIII. & IX. Incendium Patherbronnæ.] Incendium Patherbronnense ad annum Christi DCCCCXCIX referendum esse, tribus è locis manifeste colligitur: nam  
primò